

tes me, et fratrem meum, et ait nobis quasi quaerenti similis: ubi eram? Deinde nos intuens moerore attonitos: Ponetis hic, inquit, matrem vestram? Ego silebam, et fletum frenabam. Frater autem meus quiddam locutus est, quo eam non peregre, sed in patria defungi, tanquam felicius optaret. Quo audito, illa vultu anxio reverberans [eum oculis, quod talia saperet, atque inde me intuens; Vide, ait, quid dicit. Et mox ambobus: Ponite, inquit, hoc corpus ubicunque, nihil vos ejus cura conturbet; tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis. Cumque hanc sententiam verbis, quibus poterat, explicasset, contuit, et ingravescente morbo exercebatur. Ego vero cogitans dona tua, Deus meus invisibilis, quae immittis in corda fidelium tuorum, et proveniunt inde fruges admirabiles, gaudebam, et gratias agebam tibi, recolens quod noveram, quanta cura semper aestuasset de sepulchro, quod sibi providerat, et praeparaverat juxta corpus viri sui. Quia enim valde concorditer vixerant, id etiam volebat, ut est animus humanus minus capax divinorum, adjungi ad illam felicitatem et commemorari ab hominibus, concessum sibi esse post transmarinam peregrinationem, ut conjuncta terra amborum conjugum terra tegeretur. Quando autem ista inanitas plenitudine bonitatis tuae coeperat in ejus corde non esse, nesciebam, et laetabar admirans, quod sic mihi apparisset: quanquam et illo sermone nostro ad fenestram cum dixit: Jam quid hic facio? non apparuit desiderare in patria mori. Audivi etiam postea, quod jam cum Ostiis essemus, cum quibusdam amicis meis materna fiducia colloquebatur quodam die de contemptu vitae hujus, et bono mortis, ubi ipse non aderam, illis stupentibus virtutem foeminae, quam tu dederas ei, quaerentibusque, utrum non formidaret, tam longe a sua civitate corpus relinquere; nihil, inquit, longe est Deo, neque timendum est, ne ille non agnoscat in fine seculi, unde me resuscitet. Ergo die nono aegritudinis suae